

5. Memoriae mandatum est, Platonem philosophum tenui admodum pecunia familiari fuisse: atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum. Id ei pretium donasse, quidam scripserunt, amicum ejus Dionem Syracusanum. Aristotelem quoque, est traditum, libros pauculos Speusippi philosophi, post mortem ejus, emisse talentis Atticis tribus. — Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit.—Dicitur Octavia, quum Virgilium audivisset recitantem illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris et c.* deliquum animi passa esse: deinde, recepto animo, Virgilio dari jussisse pro singulis versibus dena sestertia.

6. Nobilibus Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes; sed etiam, quum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia, et in patrias invehantur, e reque publica, perpetua vita constitutis vectigalibus, fruantur. Quum ergo id animadvertissem, admiror, quid ita non scriptoribus iidem honores, etiamque majores sint tributi, qui infinitas utilitates aevo perpetuo omnibus gentibus praestant. Id enim magis erat justitia dignum, quod Athletae sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora: scriptores non solum suos sensus perficiunt, sed etiam omnium, libris ad discendum et animos exacuendos praeparantes praecepta. Quid enim Milo Crotoniates, quod fuit invictus, prodest hominibus, aut caeteri, qui eo genere fuerunt victores? Pythagorae vero praecepta, Democriti, Platonis, Aristotelis, caeterorumque sapientum, omnibus gentibus, recentes et floridos edunt fructus: e quibus, qui a teneris aetatibus doctrinarum abundantia satiantur, optimos habent sapientiae sensus, instituuntque civitatibus humanitatis mores, aequa jura, leges; quibus absentibus, nulla potest esse civitas incolumis.